

1572

queremibus supergressi penitus fudere, magnoque metu ac detrimento sese recipere coegere. Ex dextero quoque cornu quod in ea circumductione lavam obtinuerat, sub Alvaro Bacciano in hostes triremium manus emittitur, neque intendentibus se tenebris tormentorum ejaculationibus finis imponebatur. Constans opinio fuit, si opportune, ac tempestive ceptum esset, ea die haud dubio praelio dimicandum fuisse, nostrosque in ea animorum concitatione, confligendique desiderio usque in Methonis euripum, in quo reliqua classis confederat, certa prope illius dissipandae, Methonesque potiundi spe penetrare potuisse. Hæc in causa fuere, ut foederati ea nocte aliam insulæ partem tenere nequiverint, sed gravi nautarum incommodo, nebulis obtecto, fulgetris coruscante, maritimasque procellas minitante cælo, mari detinerentur.

At concidente vento, cum pacatius æquor navigationi faveret, prima luce Gallum promontorium aquandi causa tenuere. E montibus vero parce scaturientibus aquis, tantæque multitudini abunde potum non præbentibus, postridie ad Longam, amnem quatuor a Corone millibus, deferuntur. Locum continuata, densaque citriorum, olivarum, ac melomedicarum arborum virentia nemora fronde, flore, fructibusque conspicua, jucundum, ac perameenum efficiunt. Ibi ne aquationem hostis adimeret, timentibus, jam enim *Mistræ*, quæ quondam Lacedæmon fuit, Sangiaccum cum equitibus ducentis adventare afferebatur, atque Uluzzalius, classe Methone relicta, ad nostros disturbandos, Coronemque tutandum suorum ad duo millia in ea loca ductaverat; Austriacus Franciscum Landrianum, castrorum præfectum, cum duobus Hispanorum millibus in litus, qua patentior ad flumen aditus hosti erat, exponit; nonnullas Italorum cohortes ex alio latere, ut aquationi incumbentes protegerent, exscendere imperat. Cum improvise Sangiaccus cum equitibus, Uluzzalius cum peditibus supervenit: inde usque in vesperum levioribus certaminibus pugnatum, e triremibus eodem tempore continenter in litus emissis pilis, licet arborum densitate visum, certosque ictus adimente, parum usui fuerint. In eo certamine Maynensis Marchio cum sex ac quadraginta ex Gallica nobilitate, quos secum adduxerat, magnum specimen virtutis præbuit: qua

Federatorum & Turcarum levia certamina.

Maynensis Marchio cum sex ac quadraginta ex Gallica nobilitate, quos secum adduxerat, magnum specimen virtutis præbuit: qua

con-